



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 25. Opera Cochlæi adversus Lutheri Sectatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul XVI. *insania, qua agitantur omnes illi, qui ejus-*
 A C. 1541. *modi memorias celebrant, & honorant, cum*
 non tolerant ejusmodi passiones, quas Sancti
 nos suo exemplo edocent, ut etiam illas patien-
 ter suslineamus & toleremus. Hæc pro-
 positio vana est & stulta, & a Catholica
 pietate aliena, quæ SS. Martyrum festa co-
 lit, ut Deum & Sanctos honoret, ac eorum
 meritis & precibus veniam impetret delictio-
 rum, devotionem acquirat & virtutes, qui-
 bus ad eorum pervenire mereatur societatem.
 Ceterum hic libellus plura alia prorsus
 impia & hæretica continebat.

§. XXV.

*Opera Cochlæi adversus Lutheri
Seditatores.*

*Cochl. in act.
 & script.
 Luth. hoc an-
 no p. 303.*

Interea Cochlæus continuo Lutheri af-
 feclas immoto Religionis studio, scri-
 ptisque adversus eos libellis insectaba-
 tur. Intererat Ratisbonensi colloquio
 ac Comitii, ubi tres omnino libros, ac
 primum quidem die decima octava Ju-
 nii edidit, in quo approbat judicium Ca-
 tholicorum, qui ante Concilium nihil
 decidendum, sed omnino futuræ Syno-
 di decisionem circa articulos in collo-
 quio conciliatos ac discussos expectan-
 dam contendebant. Alter libellus con-
 tinebat epistolam circa privatum collo-
 quium, quod Cochlæus instituit cum
 Electore Brandenburgico; ibidemque
 præ-

præcipue agit de tribus articulis, nimirum de Ecclesia, Sacrificio Missæ, & invocatione Sanctorum. Tertius denique Cochlæi liber erat versio cujusdam fragmenti ex Græco quodam commentario in Canonem Missæ circa Consecrationem.

§. XXVI.

Diffidia circa Episcopatum Naumburgensem.

Ineunte anno sequenti millesimo quingentesimo quadragesimo secundo a-cerrima exorta est contentio Catholicos inter & Protestantes circa Naumburgensem Episcopatum, qui tum per Præfulis sui obitum vacabat, atque in ejus locum a Canonicis cooptatus fuerat Julius Pflugius, qui in Ratisbonensibus Comitibus ex Catholicis Theologis unus ingentem sibi famam conciliabat libris suis in lucem editis, præcipue illo opere, quod contra Lutherum *de Institutione hominis Christiani* conscripsit: Cum vero Princeps ac Saxonie Elector Naumburgensibus Canonicis Episcopum subrogandi jus competere denegaret, ac contenderet, quod hæc urbs, utpote sita in Misniensi Saxonie Provincia suo imperio obnoxia esset, hinc ejecto Pflugio hanc Ecclesiam Nicolao Amstorfio, seu Amsfordio Lutheranae sectæ Ministro

Sæc. XVI.
A.C. 1542.

Steid. comm.

l. 14. p. 455.

Paul. Lango

de Episcop.

Neob.

Melchior A-

dam. in vita

Theol. Germ.

ac